

« cum aliud pro alio invito creditori solvi non possit, » l. II, § *Mutuum. ff. de Rebus credit.* Distinguunt adversarii majorem, si inde damnum alia ratione non reparabile secutum est, conceditur; si nullum secutum est damnum, vel tale, quod alia via resarciri, potest, negatur.

116. *Nec satisfacit dotando.* — Sed contra hanc distinctionem est primo, quod adimpleto ex una parte contractu: « Facio ut facias, » obligatio alteram partem ad reciproce adimplendum stringens non proveniat ex damno alteri secuto, sed ex natura contractus etiam ex altera parte fide celebrati, item ex justitia communitativa, et naturali æquitate exigente, ut qui per contractum: « Facio ut facias » alterum ad faciendum inducit, videtque quod alter ad contractum et promissum ex parte sua adimplendum paratus existat, non possit hoc acceptare, quid obligationem contrahat vicissim adimplendi id, intuitu cujus alter suum promissum adimplevit, etiamsi hic alter ex facto suo penitus nullum passus sit, nec patiatur damnum. Imo etsi ex facto suo reportaverit commodum; ut si v. g. quis ita contrahat: « Si tu hodie ambulas mecum ad has nundinas, ego cras ambulabo tecum ad illas; » ambulante enim illo hodie, tenebitur hic cras ambulare ad nundinas, etiamsi ille ambulando nihil neglexerit, nec damnum aliquod contraxerit, sed potius lucrum ex nundinis reportaverit.

117. *Nec excusatur ab obligatione ex eo, quod fide tantum promiserit. Et quare?* — Nec liberatur ab obligatione ex eo, quod fide promittat, ac etiam contra obligationem interne protestetur; tum quia acceptando alterius factum non nisi sub conditione reciproci facti ab alio vicissim præstandi, impedire non potest, quin ex justitia et æquitate naturali oriatur obligatio reciproce præstationis; tum quia præstatio illa, spontanea acceptatione facti ab alio non nisi sub conditione reciprocationis præstiti eliditur talis protestatio, ut bene advertit Layman, loc. cit. et dicemus adhuc infra num. 125; quia ex justitia tenebatur vere promittere, et fide promittendo, atque ita ad faciendum inducendo intulit alteri injuriam, quam exigente justitiæ utique resarcire debet reciproce præstando factum fide promissum.

Dices cum Perez, talem commisisse quidem injustitiam, sed solummodo interne, seu secundum intentionem et affectum in-

ternum, non item externe, si, uti supponitur, nullum damnum alteri inde fuit secutum: ergo plus non requiritur, quam ut pœnitentia deleat illam coram Deo; cum injustitia interna sine alterius læsione aut damno facta, plus non requirat; prout patet in simplici fide promissione matrimonii alteri facta, utpote quæ licet injuste, ac cum injuria alterius sit facta, promittentem tamen ad ducendum non obligat, sed tantum ut de peccato doleat, prout ipsimet docuimus supra § 1. n. 5. Resp. negando ant. quia dum talis fide promittendo inducit ad actum seu factum, jam hoc non amplius est et manet injustitia interna seu secundum intentionem vel affectum internum, sed evadit omnino externa inducens alterum ad actum seu factum externum, quod alias non fecisset, et non nisi sub conditione certæ præstationis ab altero faciendæ præstitit. Hinc negatur paritas in consequenti assumpta; quia cum per fictam simpliciter promissionem matrimonii ibi positam pars altera nullatenus inducebatur ad aliquid certum faciendum aut præstandum, neque vi illius promissionis aliquid præstitit, vel præstare debuit, uti supponitur, maxima inter hanc et illam promissionem apparet disparitas.

118. *Aliud pro alio invito creditori solvi non potest.* — Instabis, dato, quod per copulam fide promissione matrimonii obtentam, alteri etiam externa inferatur injuria, tamen necesse non est illam resarcire ducendo deceptam, sed sufficet, si pecuniaria vel alia satisfactione injuriam illam externam ad æquale compenset: ergo. Resp. negando ant. quia justitia communitativa non tantum exigat, ut æquale reddatur, sed ut id, quod debetur in specie reddatur, si reddi potest; quia juxta jam dicta: « Aliud pro alio invito creditori solvi non potest, » uti expresse habetur l. II. § *Mutuum. ff. de Rebus credit.* Quæ sicut quævis alia lex justa in utroque foro obligat per dicta lib. I, tit. II, § 7, n. 153, consequenter cum in specie debeat matrimonium, utpote sub cujus promissione licet fide, ac conditione puellam induxit ad actum seu factum, quod alias non præstitisset, nec de facto præstitit nisi sub conditione tacita vel expressa matrimonii consequendi, matrimonium, si potest, in specie reddere debet, nec satisfacit dotando, seu dando pecuniam, utpote quam ille non promisit, et ob quam illa factum non præstitit, nec forsitan præstitisset.

119. *Sub fide promissione usum corporis obtinens tenetur ducere deceptam etsi hæc nihil repromiserit.* — Et hoc procedit, etsi femina reciproce non promiserit matrimonium, sed tantum sub spe aut promissione matrimonii accepta usum corporis fecerit, consequenter vera sponsalia defectu mutæ repromissionis non effecerit, Sanchez, loc. cit. n. 4; Pirhing, h. t. n. 46, cum communi aliorum pro conclusione n. 115, posita sententium contra Manual. in hoc singularem. Ratio est, quia in hoc casu etiam sine sponsalibus erit præfata obligatio ex contracta oneroso: « Facio ut facias, » ex altera parte jam impleto.

120. *Solvitur objectio et ulterius ostenditur, ex quo capite teneatur absolute nubere.* — Objicies cum Perez, loc. cit. contra conclusionem n. 115, positam. Qui sub fide promissione matrimonii deflorat puellam, non tenetur eam ducere ratione promissionis, quippe quæ ficta et invalida est: nec ratione damni illati, utpote quod vel nullum est secutum, vel si secutum, alia via, uti supponitur, reparabile est: ergo nullo modo tenetur eam ducere. Resp. decipientem in hoc casu non teneri quidem præcise ex promissione utpote ficta et invalida; nec præcise ratione damni dati, sed ex natura contractus onerosi innominati: « Facio ut facias, » juxta dicta supra n. 115 et 116. Unde procedit quidem argumentum Perez contra Sanchez, qui licet nobiscum, et cum aliis loc. cit. n. 3, principalem radicem obligationis ducendi ponat in natura contractus innominati: « Facio ut facias: » tamen ab ea n. 26. recedit, eamque in damno dato ponit, dicendo, quod si puella damnum aliquod non patiat, is qui sub fide promissione matrimonii eam carnaliter cognovit, ducere non teneatur, contra quod adhuc dicemus infra n. 122. et seqq.

121. *Si vir notabiliter excedit conditionem puellæ, et hoc scivit, vel scire potuit puella, non tenetur eam ducere, sub fide promissione matrimonii ad copulam inducens. Scire, et scire debere paria sunt.* — Limitatur tamen conclusio I. Si vir notabiliter excedat conditionem puellæ, idque puella sciverit: ut si vir est nobilis, puella vero rustici filia, Sanchez, loc. cit. n. 5; Lessius, lib. II, cap. x, dub. 3; Navarrus, lib. XVI, n. 18; Pirhing, de *Adult. et stup.* n. 57; Sylvester, §. *Luxuria.* q. 5. et alii communiter. Ratio est, quia, cum in tali facile suspicari potuerit, virum

non nisi fide promittere merito præsumitur, quod ex libidine potius, vel ex animo obtinendi ab eo pecunias, quam ex animo acquirendi matrimonium, et contractum onerosum: « Facio ut facias, » celebrandi, corpus præbuerit, consequenter ratio et fundamenta obligandi stupratorem ad matrimonium desint. Nec ordinarie auditur puella dicens: se non scivisse deceptionem, quia scire debuit, si scivit excessivam inæqualitatem; « scire autem et scire debere » paria sunt, l. *Quod te. 5. ff. de Rebus credit.*

122. *Si vero puella nescivit excessum, vel scivit quidem, decipiens tamen ei taliter promissit, quod de seria promissione nullus dubitare potuisset, tenetur eam ducere, et quare?* — Addit quidem Sanchez, loc. cit. n. 21, quem sequitur Pirhing, de *Adult. et stup.* n. 57, talem notabiliter excedentem non teneri, etiamsi puella nesciverit excessum, vel etiam juramento ita assecuravit puellam deceptor, ut vir prudens quoque prudenter crederet, eum vere promittere; quia, aiunt, talis non tenetur ratione promissionis, utpote fictæ et invalidæ: nec ratione damni illati; quia justitia non exigat, ut debitor etiam ex delicto plus restituat, quam æstimatur damnum illatum juxta communem; atqui plus æstimatur contractus matrimonialis longe excedentis viri cum paupercula puella, quam damnum ablata dolo virginitatis: ergo.

123. Verum huic opinioni Sanchez, et sequacium penitus non adhærendum, sed tanquam probabilius tenendum videtur, quod si etiam notabiliter excedens deceptor fide promittendo ita assecurat puellam, ut et ipsa, et quivis vir prudens credere possit, eum sincere promittere; ut si puella renitendo dicat: « Ipse tantum fingit, vel vexat, quia cum ego sim paupercula, ipse vero ditissimus, aut nobilis, » etc. vel: « Quia ego sum de abjecto genere, v. g. lictoris, carnificis, etc. filia; ipse vero honestorum parentum filius, esse ob inæqualitatem non poterit, quod matrimonio copulemur, præsertim cum nec parentes ejus id concederent: » deceptor vero ad hæc et similia respondeat: « Bene scio, quis sim ego, et quæ tu; scio etiam omnes circumstantias, quod sis mihi longe inæqualis: nihilominus quia tu præcæteris mihi places, et erga te speciale affectum habeo, assecuro te, promitto, imo juro tibi, quod nubere tibi velim; etiamsi strepitent, et summe contradicant parentes

mei, et omnem favorem in futurum deneget, etc. dummodo tu præbeas usum corporis, » etc. Si tali, inquam, aut consimili modo deceptor assecurat puellam, ut nec ipsa, nec alius vir prudens de fraude prudenter suspicari possit; sicut etiam, quando puella excessum ignorat, consequenter hoc ipso deceptionem advertere nequeat, tenetur deceptor deceptam ducere, postquam ipsa ex parte sua conditionem adimplevit, corpus sub præfata conditione præbendo: nec satisfacit dotando, nisi puella ad dotem consentiat. Layman, lib. V, tract. X, part. I, cap. 1, n. 11; Lessius, lib. II, cap. x, dub. 3; Vasquez, in *Moralib. de Restit.*, cap. III, § 4, dub. 3; Henriquez, lib. XI, cap. XI, n. 2; Navarrus, et teste Lessio, loc. cit. multi alii doctores. Probatur; quia in tali casu ratio et fundamentum n. 115. positum æqualiter militat; nec adest ratio aut fundamentum in contrarium efficaciter quid probans. Argumentum enim Sanchez, et sequacium, nimium, id nempe probaret, quod ficta promissione matrimonii usum corporis obtinens, etiam tunc non teneretur deceptam ducere, sed dotando satisfaceret, si decipiens esset æqualis, vel non multum majoris conditionis quam decepta: siquidem etiam tunc argumentari cum Sanchez sic liceret: deceptor non tenetur deceptam ducere vi promissionis, utpote fictæ, consequenter nullæ, nec ratione damni dati; quia nemo tenetur plus restituere quam damnum a se illatum æstimatur; sed damnum ordinarie majus et aliud non est, quam quod decepta tam commodas nuptias amplius acquirere non possit, quod damnum quia potest resarciri dotando, non tenebitur deceptam ducere, præsertim cum nubere alicui, et cum ea perpetuo manere, quæ non placet, et a qua quis aversionem habet, longe majus videatur quam damnum deceptæ in sola privatione commodarum nuptiarum consistens; quod quia dote competenti resarciri potest, decepta contenta esse debet; si, ut Sanchez vult, obligatio ducendi descendit ex sola ratione damni dati, quod nemo cum majori damno resarcire debet.

124. Hinc negatur, quod in casu conclusionis, obligatio ducendi deceptam ex sola promissione vel ratione damni illati proveniant: cum juxta dicta n. 115. et seqq. et ipsum Sanchez, loc. cit. n. 3. principaliter proveniat ex natura contractus innominati: « Facio ut facias, » et justitia commutativa

exigente, ut si quis sive vere, sive fecte contractum talem cum alio ineat, et hic contractum promissum sub conditione tacita vel expressa reciproce adimpletionis ex parte sua adimplere paratus existat, alter hoc acceptare non possit, quin naturali æquitate, ac justitia exigente obligationem contrahat adimplendi etiam id ipsam, intuitu cujus pars altera suum adimpleverat; etsi id se impleturum prius fecte promiserat, uti ad propositum bene etiam argumentatur Layman, loc. cit. n. 11.

125. Confirmatur: si quis sub vera promissione matrimonii obtinet usum corporis a puella longe inferioris conditionis, tenetur eam absolute ducere, nec satisfacit dotando, ut Sanchez ipse, et omnes alii fateri debent: ergo etiam fecte promittens (casu quo puella fictionem advertere non poterat) postquam copulam a puella sub tacita vel expressa conditione matrimonii concessam acceptat; quia id facere non potuit, quin obligationem ex justitia contraheret vicissim adimplendi id, cujus gratia puella corpus præbuit, nec relevatur ab illa obligatione, si interne contra eam protestatur, eo quod externa spontanea acceptatio copulæ sub tali, et non alia conditione concessæ, est contraria tali protestationi, eamque ex justitia et æquitate elidit; alioquin enim in quovis contractu oneroso libera decipiendi daretur facultas, uti loc. cit. bene advertit Layman.

126. Confirmatur ulterius; si sub ficta promissione copulam obtinens ex solo damno dato teneretur ducere deceptam, uti vult Sanchez, sequeretur, quod quando puella ex tali copula nullum pateretur damnum, deceptor etiam æqualis conditionis puellam ducere non teneretur; atqui sequela videtur omnino absurda, ergo, sequelam majoris concedit Sanchez, loc. cit. n. 23. ubi adhuc alios adducit. Minorem ex consequenti negare debet, quæ tamen probatur, tum rationibus et fundamentis n. 115. et seqq. positis, utpote æque militantibus, si nullum, ac si aliquod damnum ex copula sub conditione promissi matrimonii concessa sequitur; tum ex eo, quod inde aperiretur via innumerarum deceptionum et fornicationum; cum non tantum leves et imbecilles, timoreque Dei ac virtute minus firmatæ, sed etiam honestissimæ virgines ac viduæ, quæ ad inhonestam nunquam adduci potuerunt, promissione matrimonii plerumque inducantur; quo medio libidinosi liberrime fecte tamen

otenterent, si scirent, quod ratione fictæ promissionis in tali casu ad nihil obligarentur; imo jurare possent, quod nihil promiserint, uti vult Sanchez, loc. cit. n. 27. Relinquo cujusvis considerationi, annon hæc doctrina sit nutritiva peccatorum, consequenter in praxi minime tenenda.

127. *Si puella fictionem facile advertere poterat, non tenetur eam ducere decipiens.* — Cæterum limitatur conclusio secundo, quando femina ex verbis, signis, aut aliis conjecturis potuit faciliter colligere fraudem, aut fictionem. Sanchez, lib. I, disp. 10, n. 7; Layman, ubi supra n. 11; Lessius, loc. cit. n. 24; Sylvester, §. *Luxuria*, q. 5. cum communi aliorum. Ratio est, quia hoc ipso, quod facile potuisset colligere fraudem, voluit decipi: paria autem sunt posse scire, et debere scire, arg. l. *Quod te. ff. de Reb. credit.* scienti vero, et consentienti non fit injuria neque dolus, c. 27. *de Reg. jur.* in 6.

128. *Neque si puella reciproce recipit virum fugendo se virginem.* — Limitatur tertio, si puella reciproce decipiat, jactando aut fingendo se virginem, cum non esset. Layman, ubi supra, Lessius, loc. cit. n. 3; Sanchez, loc. cit. n. 11; Ledesma, *de Matrim.* q. 45, a. 4, dub. 1; Lessius, lib. II, cap. x, dub. 3, n. 29; Corduba, *Sum.* q. 49; Ludovicus; Lopez, et alii communiter. Ratio est, tum quia datur compensatio injuriarum; tum quia ob hanc causam solvi possunt vera sponsalia juxta dicenda infra § VIII. a. n. 246. ergo etiam tolli, vel potius impediri potest obligatio ex ficta promissione consurgens. Imo ob hanc ultimam rationem ab obligatione nubendi excusatur deceptor, etsi puella eum vere non deceperit expresse dicendo, aut jactando se virginem, sed tantum tacendo, et probum amissæ virginitatis non manifestando (prout manifestare non tenebatur, cum nemo se ipsum diffamare obligetur) promissum acceptaverit, et corpus præbuerit. Doctores citati. In quo tamen casu deceptor eam competenter dotare tenebitur in utroque foro, si femina, quæ communiter reputabatur virgo, inde diffamatur, et damnum patitur. Less., lib. II, cap. x, dub. 3, n. 30; Pirhing, Corduba, et alii, eo quod juxta dicta supra n. 71, quivis etiam sine promissione matrimonii virginem vel veram, vel communiter putatam seducit, et dormit cum ea, teneatur eam ducere, vel dotare; talis autem fictus promissor vel maxime eam seducere videatur: ergo. Si

v.

vero inde damnum aliquod non sequatur, in foro interno ad nihil tenebitur juxta dicta n. 76. In foro externo eandem, sicut etiam illam, quæ reciproce virum decepit positive mentiendo se virginem, etiam ducere compelletur, nisi vir probet, eam virginem non fuisse; quia per dicta præsumptio stat pro puella, præsumiturque virgo ac decepta, nisi aliter probetur, juxta dicta, num. 84 et 85.

129. *Neque si interveniat causa aliqua, ob quam juste solvuntur sponsalia.* — Limitatur conclusio quarto: quoties intervenit, vel subsequitur circumstantia vel causa, ob quam juste solvuntur sponsalia vere contracta, Sanchez, lib. I, disp. 10, n. 13; Layman, lib. V, tract. X, p. I, cap. 1, n. 11, § fin.; Lessius, lib. II, cap. x, dub. 3, n. 30, et alii, eo quod si non major, saltem videatur eadem esse ratio; ubi autem eadem est ratio, eadem est juris dispositio, arg. l. *Ideo, ff. de Legib.* quia plane non apparet, cur si causa vel circumstantia aliqua sufficit ad tollendam, vel impediendam obligationem ex vera promissione provenientem, non sufficiat ad tollendam aut impediendam illam, quæ occasione fictæ promissionis ex contractu innominato « Facio ut facias » provenit; cum æque illa ac ista ex justitia, et æquitate naturali obliget. ergo. Porro causas ac circumstantias ob quas licet solvere sponsalia, habes infra § VII, et § VIII, ubi per extensum quævis declaratur.

130. *Qui sub ficta spe matrimonii aliquam seducit, et non potest eam ducere, an teneatur illam dotare?* — Quæritur VI. An in casu, quo ille, qui sub ficta promissione matrimonii feminam carnaliter cognovit, ex aliqua causa vel circumstantia excusatur a matrimonio, teneatur saltem eam dotare? Resp. I. Si fictus promissor ob culpam puellæ liberatur ab obligatione eam ducendi, v. g. quia puella postea cum alio fornicatur, vel quia positive dixit, aut jactavit se virginem, etc. non tenetur eam dotare, Sanchez, loc. cit. n. 11; Layman, loc. cit. n. 11; Lessius, loc. cit. n. 29, et alii communiter. Ratio est, quia fictus promissor vi contractus innominati tantum tenebatur ad ducendum; ergo si femina in culpa, vel causa est, quod eam ducere non teneatur, ad nil aliud tenetur; quia sicut « unum pro alio, invito creditori » solvi non potest, l. 2, *ff. de Reb. credit.* ita unum pro altero solvere invitatus debitor cogi non potest, cum correlativorum eadem sit

ratio ac disciplina. arg. l. fin. ff. *de Acceptil.* l. fin. c. *Indict. viduit.*; Barbosa, *de Axiomat.* vers. *Correlativa.*

131. Resp. II. Si foemina in culpa, et causa non est quod a nubendo excusetur deceptor, ut si ex matrimonio gravia orientur scandala, tenetur eam ita dotare, ut damnum, si quod est illatum, sufficienter compensetur, ita sentire videtur Sanchez, loc. cit. n. 9, et doctores supra citati. Ratio est, quia, uti supponitur injuste damnificavit: ergo tenetur damnum resarcire modo, quo potest, arg. c. fin. *Injur. et damno dat.* cum concordantiis: consequenter si non potest nubendo, tenetur restituendo per dicta n. III., nisi damnum passa ipsamet indignam se reddat, sicque eximat damnificantiem a restitutione, ob dicta n. praeced. Confirmatur conclusio ex dictis supra n. 71, arg. c. 1, *de Adult. et stup.* vi cuius quilibet virginem, quam seducit, tenetur ducere, vel dotare; atqui talis vel maxime virginem seduxit, qui sub ficta spe matrimonii eam ad copulam persuasit: ergo.

132. *Clericus vel uxoratus sub ficta spe matrimonii deflorans aliquam, tenetur eam dotare, et quomodo?* — Queritur VII. Ad quid teneatur clericus, et maritatus, qui fingens se solum laicum, sub ficta promissione matrimonii a foemina obtinet copulam? Respondetur teneri dotare puellam in tantum, in quantum requiritur et sufficit ad resarciendum damnum, si quod inde passa est decepta. Sanch., loc. cit. n. 13; Sylvester, vers. *Luxuria*; Ledesma, *de Matrim.* q. 45, a. 4, dub. 1, *ad Confirm. tertii.* Ratio est, quia omnis injuste damnificans tenetur ad restitutionem, arg. l. un. c. *de Sentent. quae pro eo*, et c. fin. *de Injur. et damno dat.* juncto can. *Si res aliena*, cau. 14, q. 6, ergo etiam positi in conclusione. Quod si vero puella damnum exinde nullum patitur, ad nihil tenetur in foro interno, bene tamen in foro externo per dicta supra n. 93.

133. *Quis teneatur alimentare prolem.* — Queritur VIII. Quis teneatur alimentare prolem, casu quo impraegnetur puella, et impraegnans non ducit impraegnatam, puta, quia vel non potest, vel non tenetur, vel inique recusat? Resp. quamvis satis communis sit doctorum opinio, ut videre est apud Covar. *de Sponsal.* p. II, c. viii, § 6, n. 19; Less. lib. II, cap. x, n. 42, qui cum Glossa in c. fin. *de Conversione infidelium* docent, hujusmodi prolem primo triennio

ali debere a matre, postea a patre juxta vulgares versiculos a Glossa ibidem adductos:

Mater alit puerum trimo, trimoque minorem
Majorem trimo pascere, patris erit.

arg. l. *Nec filium*, 9. c. *de Patria potest.* Rectius tamen dicitur, obligationem alendi prolem utrique parenti incubere ordine, tamen successivo, ita ut prius teneatur pater, mater vero tantum in subsidium, si nempe pater ex defectu mediorum non potest, aut malitia non vult alimentare, et non alimenta prolem Barb. in c. *Cum haberet* 5, *De eo, qui duxit in matrim.*; Surd. *de Aliment.* tit. I, q. 15, n. 11; Sanctorell. *Var. resolut.* lib. I, q. 33; Covarr. et alii arg. cit. c. *Cum haberet*, 5, h. t. Ad vulgares illos versiculos dicitur, esse ita intelligendos, quod cum proles ante triennium a mamma depelli tunc non consueverit, matri impositum sit praefato triennio lac praebere proli; non vero quasi mater deberet etiam reliqua v. g. lectum, vestitum, habitationem, etc. primo triennio praestare; ad haec enim omnino obligatur pater, et primum in defectu hujus mater, prout bene advertunt laudati doctores; veram de hoc amplius lib. V, *de Adult. et stup.*

134. *Renuens matrimonium, ad quod obligatur, an, et quomodo compellendus. Remissive.* — Queritur IX. Quid juris, et quomodo compelli possit ac debeat, qui ob seductionem puellae ad nubendum obligatus, nubere renuit? Resp. ad hoc quaesitum patere § seq. n. 132.

Et haec de defloratione, ac seductione foeminarum atque de obligatione inde proveniente, praesertim dote constituenda, paulo prolixius, et nonnunquam cum aliqua repetitione pro majore claritate dicta sint, eoquod materia haec in foro tam interno quam in externo identidem recurrit; ob quam causam etiam breviter recapitulare placet dicta in hoc paragrapho, ut in compendio habeatur notitia totius hujus materiae summe practicae.

135. *Compendiosa recapitulatio de obligatione ducendi, vel dotandi cum vel sine spe matrimonii seductam.* — Porro compendiosa itaque notitia notandum in causa deflorationis aliter esse discurrendum, si fiat absque promissione matrimonii; aliter si fiat sub spe, ac promissione matrimonii. Et de utroque aliter pro foro interno, aliter pro foro externo,

Nam loquendo de casu, quo fit defloratio aut seductio sine spe aut promissione matrimonii quoad forum externum, si quis fraude, aut metu injuste incusso, aut importunis precibus virginem seducit, eam ducere, vel dotare tenetur juxta dicta supra n. 71, et seqq. Si vero puella virgo non est, nec pro tali communiter habetur, in foro externo ad nihil tenetur n. 79. Sicut neque, si puella alias est malae famae, aut minus honestae vitae, n. 80. Nisi etiam haec ex tali seductione damnum revera pateretur n. 82. Qui seducit talem, quae virgo quidem non est, pro tali tamen communiter habetur, eam dotare, vel ducere debet, n. 85. Praesumitur autem quaevis virgo, n. 84, et seducta, n. 85, nisi contrarium probetur. Seducens absque promissione virginem veram, vel communiter putatam, non tenetur copulative eam ducere, vel dotare, sed sufficit, si ducat, aut dotet, n. 87. Quamvis si seducta, aut parentes ejus matrimonium recusent, teneatur eam dotare, n. 89.

Dos seductae assignanda regulatur juxta facultates parentum, et qualitatem puellae, ac viri, quem acquirere potuisset, n. 91, in foro externo debet dotari seducta, etsi jam habeat dotem, n. 92, et licet damnum passa non fuisset n. 93. Si damnum majus est, quam dos, plus restituere debet, n. 94, et seqq. Puellae nobili, aut specialibus qualitatibus naturae ornatae, ordinarie plus restitui debet quam ignobili, aut abjectae, n. 97. Caeteris paribus dives deflorator non tenetur plus dare defloratae, quam pauper, n. 99, et seq. Qui dotare non potest, tenetur puellam ducere, si ea velit, vel dotare quantum potest, si puella nubere ei nolit, n. 100, et seqq.

Quoad forum internum praecise attenditur damnum, quod puella ex injusta defloratione patitur, ita ut tantum restituere teneatur, quantum efficit damnum: si nullum damnum subsequutum est, ad nihil tenetur ante sententiam judicis, n. 76, et n. 102, et seqq. bene tamen post sententiam judicis, n. 77. In foro hoc satisfacti vir seductae equalis, si eam nubere velit, nec tenetur eam simpliciter dotare, n. 105. Solis importunis precibus seducens, in foro interno ante sententiam judicis ad nihil tenetur, n. 107. Qui sub ficta spe aut promissione matrimonii aliquam seducit, tenetur absolute eam ducere, n. 115, et seqq. Nisi vir notabiliter excedat conditionem puellae, et

hoc scivit puella, n. 121. Quod si tamen vir puellam sufficienter, v. g. juramento asscuret, quod non obstante disparitate conditionis eam ducere velit, si ad usum corpus praebat, tenetur eam ducere, n. 122, et seqq.

§ V.

DE EFFECTIBUS SPONSALIIUM, PRAESERTIM DE OBLIGATIONE EORUMDEM: ET MODO COMPELLENDI OBLIGATIONI SATISFACERE NOLENTES.

136. *Effectus sponsaliorum, qui?* — Notandum prius, plures ex sponsalibus provenire effectus, veluti, I obligationem eadem adimplendi, et per consequens nihil faciendi, quod adimplerem impedire potest; II inhabilitatem durantibus primis alia sponsalia contrahendi; III impedimentum publicae honestatis. De primo effectu dicemus in praesenti: de secundo autem, et tertio in tit. *de Sponsa duorum.*

137. *Sponsalia quaevis etiam occulta obligant sub gravi culpa.* — Queritur itaque I. An, quomodo, et quando obligent sponsalia? Resp. I. Sponsalia graviter obligant, ita ut in foro interno mortaliter peccet, qui ea adimplere renuit, etsi clam nemine praesente, et ita contracta sint, ut nullatenus probari possint; nisi mutuo consensu dissolvantur, vel justa causa ea dissolvendi existat. Ita hodie cum divo Thom. in 4, dist. 27, q. 2, a. 1; Covar. p. I, *de Sponsal.* cap. 1, n. 2; Sanchez, *de Matrim.* lib. I, disp. 27, n. 1; Laym. lib. V, tract. X, p. et cap. 1, n. 3. Communis, ac certa, caretque controversia, arg. c. *Ex litteris*, 10, h. t. ubi mandatur episcopo, ut eum, qui sponsalia contraxit, ad nubendum prius « moneat; et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellat, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. » Quae juris dispositio non tantum de sponsalibus juratis (de quibus loc. cit. est sermo) sed etiam de non juratis intelligenda venit; tum ob alia, quibus concordari debent jura v. g. can. *Atho.* 47, cau. 27, q. 2, ubi omnibus modis prohibetur, ne quis matrimonium contrahat cum aliqua altari jam desponsata; ita ut matrimonium cum tali contractum anathemate feriatur. Concordant et idem probant c. *Praeterea*, 2, et c. *Si inter*, 31, h. t. c. *De illis*, 7, *de Despons. impub.* p. 1, *de Sponsa duorum*; tum etiam ob rationem. Ratio enim conclu-